

M. TVLLI CICERONIS

DE ORATORE 2. 12–13

51 „Age vero“ inquit Antonius „qualis oratoris et quanti
hominis in dicendo putas esse historiam scribere?“ „si 5
ut Graeci scripserunt, summi“ inquit Catulus; „si ut
nostri, nihil opus est oratore; satis est non esse menda-
cem“. „atqui ne nostros contempnas“ inquit Antonius
„Graeci quoque ipsi sic initio scriptitarunt, ut noster Cato,
52 ut Pictor, ut Piso. erat enim historia nihil aliud nisi anna- 10
lium confectio, cuius rei memoriaeque publicae retinen-
dae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mu-
cium pontificem maximum res omnis singulorum anno-
rum mandabat litteris pontifex maximus efferebatque in
album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset 15
populo cognoscendi: ii qui etiam nunc annales maximi
53 nominantur. hanc similitudinem scribendi multi secuti
sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum tem-
porum hominum locorum gestarumque rerum relique-
runt. itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus 20
Acusilas fuit aliique permulti, talis noster Cato et Pictor
et Piso, qui neque tenent quibus rebus ornetur oratio
– modo enim huc ista sunt importata – et dum intelle-
gatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse bre-
vitatem. paulum se erexit et addidit maiorem historiae 54
sonum vocis vir optimus, Crassi familiaris, Antipater,
ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narra-
tores fuerunt“. „est“ inquit Catulus“ ut dicis. sed iste ipse 13
5 Coelius neque distinxit historiam varietate locorum neque
verborum conlocatione et tractu orationis levi et aequabili
perpolivit illud opus; sed ut homo neque doctus neque
maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit; vicit
tamen, ut dicis, superiores.“ „minime mirum“ inquit An- 55
10 tonius „si ista res adhuc nostra lingua inlustrata non est.
nemo enim studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi
ut in causis atque ut in foro eluceat; apud Graecos autem
eloquentissimi homines, remoti a causis forensibus, cum
ad ceteras res inlustris tum ad historiam scribendam ma-
15 xime se applicaverunt. namque et Herodotum illum, qui
princeps genus hoc ornavit, in causis nihil omnino ver-
satum esse accepimus; atqui tanta est eloquentia, ut me
quidem, quantum ego Graece scripta intellegere possum,
magno opere delectet; et post illum Thucydides omnis 56
20 dicendi artificio mea sententia facile vicit; qui ita creber
est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sen-
tentiatarum numero consequatur, ita porro verbis est aptus
et pressus, ut nescias utrum res oratione an verba senti-
tiis inlustrantur;

oratione an verba sententiis inlustrentur: atqui ne hunc quidem, quamquam est in re publica versatus, ex numero accepimus eorum, qui causas dictitarunt; et hos ipsos libros 20 tum scripsisse dicitur, cum a re publica remotus atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in 57 exsilium pulsus esset; hunc consecutus est Syracosius Philistus, qui, cum Dionysi tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda maximeque 25 Thucydidem est, ut mihi videtur, imitatus. Postea vero ex clarissima quasi rhetoris officina duo praestantes ingenio, Theopompus et Ephorus ab Isocrate magistro impulsus se ad historiam contulerunt; causas omnino numquam attigerunt. 14 Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon, 30 58 Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes, comes Alexandri, scripsit historiam, et is quidem rhetorico paene more; ille autem superior leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habeat, vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, 5 dulcior. Minimus natu horum omnium Timaeus, quantum autem iudicare possum, longe eruditissimus et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus et ipsa compositione verborum non impolitus magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum usum forensem.' Haec 59 10 cum ille dixisset, 'quid est,' inquit 'Catule?' Caesar; 'ubi sunt, qui Antonium Graece negant scire? Quot historicos nominavit! Quam scienter, quam proprie de uno quoque dixit!' 'Id me hercule' inquit Catulus 'admirans illud iam mirari desino, quod multo magis ante mirabar, 15 hunc, cum haec nesciret, in dicendo posse tantum.' 'Atqui, Catule,' inquit Antonius 'non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucupans horum libros et non nullos alios, sed delectationis causa, cum est otium, legere soleo. Quid ergo 60 20 est? Est, fatebor, aliquid tamen; ut, cum in sole ambulem, etiam si ego aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer, sic, cum istos libros ad Misenum—nam Romae vix licet—studiosius legerim, sentio illorum tactu orationem meam quasi colorari. Sed ne latius hoc vobis patere videatur, haec dumtaxat in Graecis intellego, quae 25 ipsi, qui scripserunt, voluerunt vulgo intellegi: in philosophos 61 vestros si quando incidi, deceptus indicibus librorum, qui sunt fere inscripti de rebus notis et inlustribus, de virtute, de iustitia, de honestate, de voluptate, verbum prorsus nullum intellego; ita sunt angustis et concisis disputationibus 30 inligati; poetas omnino quasi alia quadam lingua locutos non conor attingere. Cum eis me, ut dixi, oblecto, qui res gestas aut orationes scripserunt suas aut qui ita loquuntur, ut videantur voluisse esse nobis, qui non sumus eruditissimi, familiares.

15 sed illuc redeo. videtisne quantum munus sit
 62 oratoris historia? haud scio an flumine orationis et varie- 5
 tate maximum; neque eam reperio usquam separatim
 instructam rhetorum praeceptis; sita sunt enim ante ocu-
 los. nam quis nescit primam esse historiae legem, ne quid
 falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne
 63 qua suspicio gratiae sit in scribendo? ne qua simultatis? 10
 haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. ipsa autem
 exaedificatio posita est in rebus et verbis. rerum ratio
 ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem;
 volt etiam quoniam in rebus magnis memoriaque dignis
 consilia primum, deinde acta, postea eventus expectan- 15
 tur, et de consiliis significari quid scriptor probet, et in
 rebus gestis declarari non solum quid actum aut dictum
 sit, sed etiam quomodo, et cum de eventu dicatur, ut
 causae explicentur omnes vel casus vel sapientiae vel
 temeritatis hominumque ipsorum non solum res gestae,
 sed etiam, qui fama ac nomine excellent, de cuiusque vita
 atque natura. verborum autem ratio et genus orationis 64
 5 fusum atque tractum et cum levitate quadam aequabili-
 ter profluens sine hac iudiciali asperitate et sine senten-
 tiarum forensibus aculeis persequendum est. harum tot
 tantarumque rerum videtisne nulla esse praecepta, quae
 in artibus rhetorum reperiantur?

QUINTILIANI INST. OR. X 1.31-34

31 Historia quoque alere oratorem quodam uberi io-
 cundoque suco potest. verum et ipsa sic est legenda,
 ut sciamus, plerasque eius virtutes oratori esse vitan-
 das. est enim proxima poetis et quodam modo carmen
 solutum est et scribitur ad narrandum, non ad proban-
 dum, totumque opus non ad actum rei pugnamque
 praesentem, sed ad memoriam posteritatis et ingenii 5
 famam componitur: ideoque et verbis remotioribus et
 liberioribus figuris narrandi taedium evitat. itaque, ut 32
 dixi, neque illa Sallustiana brevitatis, qua nihil apud
 aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius,
 apud occupatum variis cogitationibus iudicem et sae- 10
 pius ineruditum captanda nobis est, neque illa Livi
 lactea ubertas satis docebit eum, qui non speciem ex-
 positionis, sed fidem quaerit. adde quod M. Tullius 33
 ne Thucydiden quidem aut Xenophontem utiles ora-
 tori putat, quamquam illum 'bellicum canere', huius 15
 ore 'Musas esse locutas' existimet. licet tamen nobis
 in digressionibus uti vel historico nonnumquam nitore,
 dum in his, de quibus erit quaestio, meminerimus, non
 athletarum toris, sed militum lacertis (opus) esse,
 nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus di- 20
 cebatur uti, vestem bene ad forensem pulverem fa-
 cere. est et alius ex historiis usus et is quidem maxi- 34
 mus, sed non ad praesentem pertinens locum, ex co-
 gnitione rerum exemplorumque, quibus in primis in-
 structus esse debet orator, nec omnia testimonia ex- 25
 pectet a litigatore, sed pleraque ex vetustate dili-
 genter sibi cognita sumat, hoc potentiora, quod ea sola
 criminibus odii et gratia vacant.

versus trimetros stetissent): vix levem consequimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem, quom eam ne Graeci quidem in alio genere linguae suae obtinuerint. togatis excellit Afranius: utinam non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus moeres suos fassus.

At non historia cesserit Graecis. nec opponere Thucydidi Sallustium verear, nec indignetur sibi Herodotus aequari Titum Livium, cum in narrando mirae iocunditatis clarissimique candoris, tum in contionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita quae dicuntur omnia cum rebus, tum personis accommodata sunt: adfectus quidem praecipueque eos, qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commodavit magis. ideoque illam inmortalem Sallusti velocitatem diversis virtutibus consecutus est. nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis quam similes: qui et ipse a nobis auditus est, clari vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus quam historiae auctoritas postulat. quam paulum aetate praecedens eum Bassus Aufidius egregie, utique in libris belli Germanici, praestitit genere ipso, probabilis in omnibus, sed in quibusdam suis ipse viribus minor: superest adhuc et exornat aetatis nostrae gloriam vir saeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intellegitur. nabet amatores nec inmerito Cremuti libertas, quamquam circumcisis quae dixisse ei nocuerat: sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in his, quae manent. sunt et alii scriptores boni, sed nos genera degustamus. non bibliothecas excutimus.

PLINII MINORIS EPIST. 5, 8

(ad T. Capitonem)

SVADES ut historiam scribam, et suades non solus: multi 1 hoc me saepe monuerunt et ego uolo, non quia commode facturum esse confidam (id enim temere credas nisi expertus), sed quia mihi pulchrum in primis uidetur non pati occidere, quibus aeternitas debeatur, aliorumque famam cum sua extendere. Me autem nihil aequae ac 2 diuturnitatis amor et cupido sollicitat, res homine dignissima, eo praesertim qui nullius sibi conscius culpae posteritatis memoriam non reformidet. Itaque diebus ac 3 noctibus cogito, si 'qua me quoque possim tollere humo': id enim uoto meo sufficit, illud supra uotum 'uictorque uirum uolitare per ora'; 'quamquam o—': sed hoc satis

est, quod prope sola historia polliceri uidetur. Orationi 4 enim et carmini parua gratia, nisi eloquentia est summa: historia quoquo modo scripta delectat. Sunt enim homines natura curiosi, et quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui sermunculis etiam fabellisque ducantur. Me uero ad hoc studium impellit domesticum quoque exemplum. Auunculus meus idemque per adoptionem 5 pater historias et quidem religiosissime scripsit. Inuenio autem apud sapientes honestissimum esse maiorum uestigia sequi, si modo recto itinere praecesserint. Cur ergo cunctor? Egi magnas et graues causas. Has, etiamsi mihi 6 tenuis ex iis spes, destino retractare, ne tantus ille labor meus, nisi hoc quod reliquum est studii addidero, mecum pariter intercitat. Nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non incohato est. Dices: 'Potes simul et rescribere actiones et componere historiam.' Vtinam! sed utrumque tam magnum est, ut abunde sit alterum efficere. Vnodeuicensimo aetatis anno dicere in foro coepi, et nunc demum quid praestare debeat orator, adhuc tamen per caliginem uideo. Quid si huic oneri nouum accesserit? Habet quidem oratio et historia multa communia, sed plura diuersa in his ipsis, quae communia uidentur. Narrat illa narrat haec, sed aliter: huic pleraque humilia et sordida et ex medio petita, illi omnia recondita splendida excelsa conueniunt; hanc saepius ossa musculi nerui, illam tori quidam et quasi iubae decent; haec uel maxime ui amaritudine instantia, illa tractu et suauitate atque etiam dulcedine placet; postremo alia uerba alius sonus alia constructio. Nam plurimum refert, ut Thucydides ait, *κρήνη* sit *ἀνώμαλη*; quorum alterum oratio, alterum historia est. His ex causis non adducor ut duo dissimilia et hoc ipso diuersa, quo maxima, confundam misceamque, ne tanta quasi colluione turbatus ibi faciam quod hic debeo; ideoque interim ueniam, ut ne a meis uerbis recedam, aduocandi peto. Tu tamen iam nunc cogita quae potissimum tempora adgrediar. Vetera et scripta aliis? Parata inquisitio, sed onerosa collatio. Intacta et noua? Graues offensae leuis gratia. Nam praeter id, quod in tantis uitis hominum plura culpanda sunt quam laudanda, tum si laudaueris parcus, si culpaueris nimius fuisse dicaris, quamuis illud plenissime, hoc restrictissime feceris. Sed haec me non retardant; est enim mihi pro fide satis animi: illud peto praesternas ad quod hortaris, eligasque materiam, ne mihi iam scribere parato alia rursus cunctationis et morae iusta ratio nascatur. Vale.